



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput XX. Quomodo Regulares Monasterii B. Meinulphi multa adversa
sustinuerunt. Et primò in temporalium honorum ablatione, & persecutione
propriarum suarum Personarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

nata vindicta in raptores & injuriatores Monasterii supradicti non solum modernis temporibus verum etiam ab antiquitus inibi legalis erat & consueta. Nam quidam Civis Paderbornensis nomine Hermannus Wesperman nuncupatus homo fide dignus, vitæ laudabilis apud DEUM mihi retulit rem valde mirabilem ad me loquens in hæc verba: O Joannes, Sæculares Canonissæ quondam Monasterii B. MEINULPHI, antequam illud in Canonicos Regulares translatum erat, à quodam homine DEUM non timente vaccis suis spoliabantur, & eidem homini ad pœnam & vindictam, quia commemorata pecora à præfato Monasterio furtim ac clandestino modo abstulerat, ut præfertur, cornua in ejus Capite sese protendentia excrescebant, insuper ut inveterata quercus forinsecus in sua cortice inæqualis habetur, ita prædicti spoliatoris corpus foris factum est, & sic coram omnibus vitam suam miserabiliter terminavit. Ecce quomodo modernum non est, quod spoliator & invasor bonorum Monasterii B. MEINULPHI non evasit absque pœna, sed ab antiquitus est punitum, quod in supradictum commissum fuit Monasterium.

CAPUT XX.

Quomodo Regulares Monasterii B. Meinulphi multa adversa sustinuerunt. Et primò in temporalium bonorum ablatione, & persecutione propriarum suarum Personarum.

Cum præfatus ac DEO dilectus Prior sui que Fratres tam laudabilis vitæ exstiterint, ut præmemoratum est, & maximè quia unionem cordium & mutuam pacem secundum Regulæ constitutionem inviolabiliter observabant, necesse fuit, ut more S. Job in ipsis virtus adversitatibus plurimis probaretur. Quapropter de pietate Domini permissum fuit, ut multis annis continuè sibi subsequenter tribus adversitates absque ullo cessationis intervallo prædictus Prior Fratrèsque sui sustinerent, ablationem videlicet temporalium bonorum per raptores, penuriam quotidianorum ciborum, detractionem æmulorum. Ut igitur de primo puncto, de raptoribus breviter sermo fiat, sciant universi, quòd ab initio, quo Regu-

lares B. MEINULPHI inhabitare cæperunt, fuit in eos usque ad octavum annum continua temporalium bonorum spoliatio, similiter & gravis persecutio, prout in sequentibus declaratur. Pecora namque eorum & jumenta prædicto tempore sæpius eis ablata fuerunt, & quoties iteratò aliqualem procurationem in hujuscemodi fecerant, toties inimicorum manus, id quod recollectum erat, auferrebant. Iidem etiam inimici eorum in hoc contenti non fuerunt, quòd bona prædicti Monasterii abstulerint, ac plurima damna sæpius intulerint; verùm etiam illis temporibus unum de Fratribus antiquum, videlicet nomine Joannem Kilverman, devotum Sacerdotem captivum in fune per terras protervo more ducentes & trahentes usque ad oppidum Geseke perduxerunt. Ego etiam prædictorum inimicorum persecutionem non evasi; nam antequam investitionem sacri habitus susceperam, & versùs oppidum Geseke pro Monasterii negotio directus essem, quidam de prædonum ordine supervenientes non solum spoliaverunt, sed & per longum terræ spatium in equis sedentes me coram eis currere coëgerunt, ac in tali laborioso meo cursu unus eorum ludibriosè mihi loquens tale vulgare protulit verbum: *jam more canis te currere oportet*, & licèt responderim, Benedictum Dominum Jesum Christum majora pertulisse, tamen strictis manibus me tenens à veloci equestri suo cursu non cessavit. Alio tempore quando cum Fratribus prædicti Monasterii pro afferendis lignis silvam fueram ingressus, supervenère raptores, equos de curru solventes abduxerunt, aliquos etiam ex nostris captivaverunt, & quod deterius est, Laicum unum nomine Joannem de Monte graviter vulneraverunt.

CAPUT XXI.

De Sacerdote Saculari, qui Regulares Monasterii B. Meinulphi molestavit.

Temporibus, quibus Regulares reformationem Monasterii B. MEINULPHI inceperunt, pius Dominus ad eorum majus meritum eos probare volens, ordinatione ejus quidam Sæcularis Sacerdos nomine Gerhardus eos turbare ceperat, & molestare, quod dum ad tempus ageret, Dominus DEUS, qui de peccatoribus